

tris, anno, quo ab Annibale deleta fuit, quasi refugeret videre civitatis tam lamentabilem cladem. Corte si amor huius divini infantis, quo nos mirifice prosequitur, nobis non innotuisset, non immerito tunc poterat timeri, ne recens natus herato in matris ventrem introiret, in sacraque matris viscera reverberetur, ne in tam abiectionem, atque squalentem locum descenderet, ac tantam creaturis in suis ingratitudinem experiret; at id alienum satis fuit a Christo Domino: nam sicut olim Aristippus, referent Laertio (lib. 2. c. 8), percontante Dionysio, cur in Siciliam venisset, relicto Socrate, respondit, ut quae habeo, impertiam; quae non habeo, accipiam: ita proculdubio Filius Dei de Patris sinu in vile praesepe descendit, ut gratiae bona nobis impenderet, et a nobis mala poenae mutaret. Unde descensus iste Deo gratus, hominibus utilis, angelis iucundus, Christo acerbus, diabolo vero infestus valde fuit. Nam sicut natura, ut quidam Doctores referunt, quandam vermiculum producit qui non alio, quam pluviae tempore nascitur, et cum a nullo fovetur, ipse quaerens cibum natural instinctu in caput draconis conscendit, et aculeo suo ita grave vulnus ei infligit, ut continuo mortuus in terram concidat, unde serpentis spoliator vocatus est: non dissimiliter Christus Dominus, qui se vermem vocavit (Ps. 21): Ego autem sum vermis, et non homo, tempore illo pluviae natus, de quo Isaias (c. 45): *Horae coeli desuper, et nubes pluant iustum, cum primum nascitur in Bethleem, et quasi quodammodo desertus a matre reclinator in praesepe, statim antiquum serpentem quaerit, et caput eius confringit, et spolia, quae tyrannice occupaverat, ab eo gloriose eripit. Unde merito sicut vermis ille, serpentis spoliator, vocari potest; et tanto quidem gloriosior, quanto in infantili adeo aetate tam ferocem ac horrendum serpentem in praesepe iacens, et fascia involutus, non extendens brachium, nec hastam vibrans, aut ex coelo fulgura mittens, fortiter contrivit. Id quod aperte praenunciavit Isaias, cum dixit (c. 8): Antequam puer sciat vocare patrem, auferetur fortitudo Damasci.*

Tandem subiungit Evangelista: *Et non erat ei locus in diversorio.* Divino consilio factum est, ut Christus Dominus non in hospitio aliquo privato, sed in loco patulo, et omnibus communi nasceretur, ut ostenderet per omnibus nasci, et ad omnibus subveniendum venire. Haec enim de causa consulto eliam extra portam passus est, et ex monte Oliveti extra civitatem Hierusalem in caelum ascendit, ut se pro omnibus Patri mortis sacrificium offerre, et pro cunctis ad possessionem regni accipienda descendere manifestaret; quam ipse nobis donare dignetur, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X.

Singulari quadam, ac erudita expositione elucidantur verba Ecclesiae catholicae, in sacro Christi Domini Natalitio: Rex pacificus magnificatus est, cuius vultum desiderat universa terra: et illa alia his similia: Magnificatus est Rex magnificus super omnes Reges universae terrae (5. Reg. 70).

Ecclesia catholica divino Spiritu afflata invenit fere omnia proposita verba (lib. 3. Reg.), ubi sacra Scriptura de Salomone Christum adumbrante in hunc modum loquitur: *Magnificatus est rex Salomon super omnes reges terrae divitiis, et sapientia, et universa terra desideravit vultum Salomonis.* Et licet Ecclesia verba haec alteraverit, et mutaverit, talis mutatio verborum compositionem illustriorem reddidit, et fortiolem, ut auctor est d. Bernardus (ser. 3. de vigil. nativ.) in haec verba: *Cum Ecclesia in Scripturis divinis verba vel alterat, vel alterat, fortior est illa compositio, quam posito prima verborum.* Cuius eam satis congruentem possumus reddere rationem, quia tunc Spiritus sanctus, qui antea verba composuerat, eorundem etiam per Ecclesiam, tanquam per divinum eius oraculum, applicationem docet. Id tamen difficile videtur in verbis Ecclesiae, quia ratione verificentur. In primis aiunt, quod vultum eius desiderat universa terra, et tamen Joannes testatur (c. 1): *In propria venit, et sui eum non receperunt; nec infantulo recens nato hospitulum aliquod exhibuere, sed inter animalia potius commorari, et in praesepe reclinari permiserunt.* Deinde sequentia verba habent (3. Reg. c. 10): *Quod magnificatus est super omnes reges universae terrae, cum tamen humilitatus, et cunctus videatur non solum prae omnibus regibus terrae, sed prae omnibus hominibus, ipso dicente (Psal. 21): Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abiectionis plebis.* Nihil sane commune habere videtur villas vermis cum maiestate regis: nihil opprobrium cum principum magnificentia, et regio splendore: nihil tandem abiectione cum gloria, praeter quod, cum primum Christus Dominus nascitur, Augusto Caesari tributum impendit; tributum autem exhibere inferioris est, non superioris. Regis etiam proprium est purpura indui, et sericis, atque aureis vestibus ornari; at Christus pauperulus pannis involutus matris ubera sugit. Princeps recens natus auratis, vel ubernis in cunabulis iacet; Christus vero in humili praesepe reclinator. Qui ergo fieri potest, quod cum haec omnia eximiam redolent humilitatem, et abiectionem, nihilominus Ecclesia catholica dicat Christum Dominum in sua nativitate magnificentum fuisse super omnes universae terrae? Ad huius difficultatis solutionem praemittere oportet, quod licet Deus Optimus Maximus excellentiae, et magnitudinis incrementum sus-

scipere non possit, ut pote infinitae, dicente David (Psal. 47): *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis;* tunc tamen dicimus Deum magnificari, cum per excellentissima eius opera mira eius celsitudo, et magnificentia clarius nobis innotescit: cum quo sensu dixit David (Psal. 103): *Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.* Et rationem huius subdit, quod coelos fabricaverit, et aquas crystallinas produxerit (ibid.): *Extendens coelum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius:* haec enim opera Dei maiestatem, et potentiam mirum in modum commendant. Cum ergo magnificari Deum nihil aliud sit, quam in effectibus ab eo dimanantibus magnificentiam, ac mirabilem eius virtutem delecti; inde facile deprehendimus, quam veraciter Ecclesia dicat catholicam Christum in humili suo ortu magnificentum fuisse super omnes reges universae terrae. In primis enim magnificentus fuit in Matre, virginitatem eius minime laedens, sed magis illustrans, et clariorum illum reddens: unde ipsa cecinit (Luc. 2): *Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius.* Deinde infans sic recens natus in se ipso valde magnificentus est; cum alioquin habens corporis molem naturaliter impenetrabilem cum alio corpore, tanquam si corpus gloriosum esset, cum revera esset mortale, clausa inter virginis porta, ut Ezechiel praedixerat (c. 44): *Porta haec clausa erit, ex visceribus matris ineffabili modo egressus est.* Quod si quambula regia inspiciamus, praesentiam, atque excellentiam praesepe Christi non solum non superant, sed longu ab eo superantur intervallo, cum illa omnia tandem patrefacta in vilissimum pulverem abierint; praesepe autem Christi Domini, quasi immortale esset, hanc gloriam sibi vindicavit, ut incorruptum adhuc Romae perseveret in insigne, ac miraculoso templo sanctae Mariae Maioris, in magnificentissimo nostri Sixti Quinti felicitis recordationis sacello, et summa fidei religionis, ac venerationis colitur, et a summis imperatoribus, ac regibus in genua procumbentibus adoratur. Quid de pauperulis pannis dicam? hi magnificentiae non fuere expertes, dulcissimo Bernardo dicente (ser. 4. in vig. nat.): *Ipsi panni Salvatoris divitiae nostrae sunt, pretiosiores omni purpura, et gloriosius hoc praesepe regum solis deauratis; distat denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque saeculi thesauris.* Quod si reliqua, quae indigentiam, et paupertatem Christi redolent, inspiciamus, haec eadem tantis sunt referenda divitiis, ut non dubitavit Apostolus (2. Cor. 8) dicere: *Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Quis unquam fuit, etsi potentissimus rex, qui paupertate ditare aliquem potuerit? Cum ergo Christus Dominus inopia sua totam locupletaret Ecclesiam, non parum eius magnificentiam ostentat: unde recte d. Bernardus (ser. 1. de Epiph.), id considerans dixit: *Quanto minorem se fecit in humanitate, tanto se maiorem exhibuit in bonitate.* Reges quidem dignitatis suae manifestant splendorem, cum sumptuosissima palatia construant, ingenti stipantium caterva eos

concomitante incedunt, pretiosissimis vestibus induuntur, his enim omnibus illi proculdubio opus habent, ut ab eis maiestatem, et splendorem regum emendicent, absque illis enim pompatica illa maiestas prorsus corrueret; at Christi Domini ea est magnificentia, ea super universis terrae regibus excellentia, ut opus non habeat maiestatem, et splendorem a corruptibilibus creaturis mutare; immo omnes, quidquid boni habent, ab eo participant, tanquam a perenni omnium bonorum fonte. Itaque reges a palatiis, a famulis, a vestibus, et aliis huiuscemodi honorantur, et decorantur; Christus autem his e contra, et participat, quidquid decoris, et splendoris habent, ipse tribuit, ipse ea exornat, non exornatur ab eis. Merito igitur canit sancta mater Ecclesia: *Magnificatus est rex pacificus super omnes reges universae terrae.* Si olim rex Salomon in eo valde fuit magnificatus, quod regina Saba de longinquis regionibus ad eum venerit, et pretiosa munera obtulerit; nonne maiorem arguit in nostro iustante recens nato magnificentiam, quod non regina una, sed reges tres ad pedes eius adorandos de longinquis regionibus adventantes in genua procubuerint, et auri, myrrhae, et thuris pretiosa tributa, tanquam regi, homini, Deo obtulerint? Sed non solum reges, verum et angelici spiritus ab empyreo coelo descendentes eius gloriam declamant, ad porticum Bethleem descenderunt. Quibus omnibus adeo illustrata, ac magnificata Christi Domini nativitas fuit, ut merito Ecclesiae licet dicere non solum: *Magnificatus est rex pacificus super omnes reges universae terrae;* sed et illud Paralipomenon (1. Par. 26): *Tua est Domine magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria, et tibi laus.* Cuncta enim, quae in coelo sunt, et terra, tua sunt. Recte quidem ait, cuncta tua sunt, quia dominum regium Christi non solum in quantum Deus, sed in quantum homo, ad universas creaturas profertur, ut non obscure significant verba illa a paucis ad hoc propositum observata (Luc. 1): *Regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.* Videtur quidem prima facie haec ultima verba superflua, scilicet, non erit finis: nam si regnum eius erat aeternum, satis ulique constabat non habiturum finem, cum rei aeternae hoc proprium sit, ut sine omnino careat. Sed revera angelus, cuius haec sunt verba, non superflue, sed apte, et concinne illa addidit: nam cum ait, non erit finis, non loquitur de duratione regni, de quo iam praedixerat futurum esse aeternum, sed significare intendit, quod regnum illius non erat limitatum futurum instar aliorum regnorum, quae certis finibus, praefixisque terminis circumscribuntur; et hoc sibi voluit verba illa: *Et regni eius non erit finis,* id est, regni eius non erit limes, aut terminus aliquis, quia dominabitur a mari usque ad mare; immo in coelestibus, et terrestribus, iuxta illud (Matt. 28): *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra.* Quo etiam modo loquendum video usum fuisse Virgilium, ut significaret, Romanorum imperium ad omnes nationes protendendum esse sine aliquo fine:

His ergo nec metas rerum, nec tempora pono.
Imperium sine fine dedi.

Deinde ex eo magnificentia, maiestas, et potentia Christi in eius natalitate mirifice detegitur, quod potentissimum hostem, daemone intelligo, cuius potentiam miratus Iob, dixit (c. 1): *Non est potestas in terra, quae valeat ei comparari*, ipse non aliis armis, quam infantilis corporis humilitate exterminavit, et profligavit (Joan. 12): *Nunc princeps huius mundi eiecietur foras*. Procuraverat semper in omni saeculo, et in omni aetate crudelis hic humani generis hostis hominum animas multis sceleribus delirare, ut sic in odio a Deo habitae, Deus Filium suum ad nos mittere dedigaret; sed fecellit illum falsa eius spes, quia non est consilium, non est prudentia, non est sapientia divinae Deum. Diabolus per omnia ordinationi adversus Deum. Diabolus per omnia viis supplicator, ruinam angelorum de hominum genere reparare volente Deo, non obstante custodia angeli boni, atque eoque hominum exeresit iniquitas, ut diluvio universalis genus hominum deleat Deus, solo Noe cum uxore, liberis eorumque uxoris ab ipso diluvio servatis; ante autem Ecclesia militante in Abel initium habente, Cain adversum fratrem suscitavit; diluvio extinctis hominibus et tribus fratribus unum in patrem Noe excitat, quem vituperati palris arguentes ceteri, nihil proficiunt: sic novit diabolus ex Ecclesia seducere, qui ipsi Ecclesiae insidias moliantur. Veniunt ad Abraham, Isaac, et Iacob, quorum gressus sic Deus dirigit, ut de his merito per Davidem dixisse perhibeatur (Psal. 104): *Nolite tangere Christos meos, et in prophetis nolite malignari*: pro talibus enim corripuit reges. Ex tribus illis populus Israel descendit, qui in Aegypto multa exercitia in aquis extincto, et iis, qui nondum so Israelit suscitavit diabolus Amalech, cum quo praeliatur, et victor existit, ne uno quidem nuncio cladis relicto ex Amalech exercitu. Denique infinitos prope labores susinit hic populum in terra deserta, dum ingressum in terram promissionis accelerare cogitat, dum ad opus contra gentilem se accingit, dum occupare incipit Haï, et Hiericho civitates gentium, dum in potenti manu Dei, et brachio excelso regem gentium debellat, et suspendit in patibulis, dum sub ducibus, et sacerdotibus a Iosue ad Samuelem usque varios casus experitur, modo exaltatus supra hostem, modo per eundem divino iudicio humiliatus. Regem sibi postulat, Saullem obinet, sub quo, et Davide, ac Salomone pariter unicum est regnum, quod postea dissensione civili dividitur inter Roboam, et Hieroboam. Sic pericula, quae unitus Israel sustinuerat ab hoste externo, divisus in causa religionis partim dissensione civili, partim a violentia externi hostis, sibi duplicari experitur deserto suo Deo. Multis enim incursionibus, dirceptionibus hostilibus, et tandem captivitate misere vexatus in omnes fines terrae dispersi-

tur, poenitens suae libertati restituit; sed cum in potestatem Romanorum Iudaica gens redacta esset, sique amplius non esset iuris, Dei Filium extremam illius crudelitatem expecturus, etsi iam in prophetas armata fuerat, in eosque desaevierat, periti medici instar, qui apostemati, non nisi in summo tumore suo existenti medicamentum adhibere solet, ut ait divus Gregorius Nyssenus, cum supremum suae malitiae, et obstinationis apicem attingisset, extremo morbo extremum adhibiturus remedium.

Ad haec ex fine, propter quem Christus nascitur, singularem eius magnificentiam haud difficile venabimur (Isai. 9): *Puer enim natus est nobis, et Filius datus est nobis*, ut dixit Isaias, non ut primordium, ut olim Adam, naturalis vitae humano generi conferret, sed ut vitam supernaturalem, et divinam hominibus donaret (Joan. 10): *Veni ut vitam habeant, et abundantius habeant*. Sicut enim primus homo de terra terrenus per naturalem propagationem terrenam hominis imaginem communicabat: ita secundus homo de coelo coelestis per spirituales generationem coelestem adeo et divinam nobis contulit imaginem, ut Christum ipsum exprimat, iuxta Pauli sententiam, dicentis (Galat. 4): *Donec formetur Christus in vobis*. Nascitur velut alter Iacob, ut supplet daemone, et scalam in terra collocet, qua homines in caelum conscendere possint, et angeli hominibus ministraturi caelitus descendant. Nascitur velut alter Moyses, ut populum suum non a Pharaonis dura servitute, sed a tyrannica satanae potestate eriperet, et infestissimos hostes in dies nobis magis, ac magis insidiantes in rubro sui sanguinis mari submergeret. Nascitur velut alter Eliseus, non ut in dulces amaras aquas Marath converterat, sed ut labores paupertatis, dedecoris, et similes felle, et absinthio amariore, melle, et saccharo dulciores redderet. Nascitur, non ut in lapideis tabulis veterem illam legem sculpter, laboriosam adeo, ut dixerit d. Petrus: *Quam nec patres, nec nos portare potuimus*; sed ut charitatis legem in cordibus nostris scriberet, suam adeo, ut Christus ipse legislator dixerit (Matth. 11): *Iugum meum suave, et onus meum leve*. Natus est, ut virtutum nostrarum imbecillitatem adeo corroboraret, ut facile de infestissimis nostris inimicis gloriosam victoriam infirmitas nostra reperiret. Nascitur tandem, non ut, velut antiqui prophetae, futura solum polliceatur, sed ut ab eis promissa superabundanter compleat, et in coelestem demum patriam promissionis lacte, et melle manantem introducat. Haec, quae fasus diximus, his paucis verbis eleganter perstrinxit divus Maximus (serm. de Nativitate Christi), dicens: *Si tibi parant, quibus infans Christus involuitur, fortasse vilescent, angelos collaudantes admirare: si praesepe despicias, erige parum per oculos, et novam in coelo stellam protentam mundo natalitatem Dominicam contemere: si credis vilia, crede mirifica: si de his, quae humilitatis sunt, dispulas, quae alta sunt, et coelestia, venerare.*

Verum quia Christus Dominus hanc suam magnificentiam primitus pastoribus, deinde regibus revelavit, id, antequam ad alia me converterem, percontari placet, cum Deus decreverit, ut ad Christum adorandum pastores, et reges prepararet, cur prius pastores, quam reges, et cur etiam ex Iudaeis pastores, ex gentibus reges elegerit: potuisset enim e contra ex istis pastores, ex illis vero reges vocasse. Huic prudenti interrogationi, quantum ad primam eius partem, consentaneam satis esse reor divi Cypriani martyris responsonem, in haec verba dicentis (ser. de Nativitate Domini): *Electa est personarum humilitum simplicitas, ut poneretur regula, et indissolubilis daretur forma, quod nisi pauperibus spiritu Christi pateret humanitas, nec superbus ad intuitum sui possit admillere veritas*. Sicut enim cum sol in inferiora, ac humiliori loco oritur, inferiora, et humiliora necesse est prius illuminet: ita nunc cum fulgentissimus Sol iustitiae Christus Dominus in abiectissimo stabili loco ortus fuerit, pastoribus abiectis hominibus prius splendescere coepit, supernis fidei divinae radiis prae omnibus mundi magnatibus eos illuminans. Secundae autem parti propositae interrogationis apte satis respondetur, si dicamus, Christum Dominum ex populo Israelitico ignobiles, ex gentili vero principes vocasse: quia praevidebat ex illo credituros, et convertendos fore, non nobiles, sed abiectiores; ex isto vero nobiliores, et potentiores: etenim (Jo. 7) dicitur: *Nam quid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisaeis? sed turba haec, quae non novit legem*. E contra vero Isaias (c. 60) praedixerat: *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui*, et subdit: *Sugas lac gentium, et mammilla regum lactaberis*. Quibus verbis aperte significat, tunc ex gentibus primas esse convertendos, et principes eorum Christianae religionis augmenti singularem curam habituros.

De loco autem, ubi praedicti pastores custodiae noctis agentes servabant a lupis, leonibus, aliisque feris in illa regione frequentibus greges suos, ait beatus Hieronymus (in Epist. Paulae): *Erat turris Ader, id est gregis, iuxta quam Iacob pavit greges suos, ubi audire meruerant, Gloria in excelsis Deo*. Dumque servant oves, invenerunt Agnum Dei, puro, et mundissimo vellere, quod in ariditate totius terrae coelestis rora complutum est. De eodem loco, et pastorem numero addit Beda: *Ad Orientem in turre Ader, id est gregis, mille passus a civitate Bethlehem segregata est ecclesia, trium pastorum divinae natalitatis conscriptorum monumenta continens*. De hac turri intelligi volunt Aymon, et Beda (in cap. 2. Luc), verba Michaeae (c. 4): *Et tu turris gregis nebulosa alta Sion usque ad te veniet: et veniet potestas prima, regnum filiae Hierusalem*. Silentio deinde non praeteribo, quod stupentes, et trementes pastores angelus mox conolatur, dicens (Luc. 2): *Nolite timere, etc.* Nolite timere spectrum, in veritas adest. Nolite timere mortem, vitam vobis praesentem annuncio. Nolite inferos timere, coelum vobis apertum praedico. Nolite timere captivitatem, ecce redem

plorem vobis denuncio (ibid.): *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David*. Saravit quidem Moyses populum ex Aegypto, Iosue de regibus Chanaanorum, David de tyrannide Palaestinarum, Esdras, et Hieremias de Babylone; sed hic, quem annuncio, liberabit totum genus hominum, quantum in se erit, ab omnibus peccatis eorum, ab ira Dei, et inferorum aeternis suppliciis, ac crudelissima servitute daemorum. Liberabit animas a delictis suis, cum per sacramenta remittet ea, et corporae communis incinerationis contumelia, quando excitabit illa, et conformia reddet corpori claritatis, et immortalitatis suae.

Tandem ut ad id, unde nihil digressi sumus, revertatur oratio, ac finis nostri sermonis principio consentiat, in memoriam, quae, rovecomus Ecclesiastici verba (Ecc. 49): *Innova signa, et immuta mirabilia, glorifica manuum, et brachium dexterum, tolle adversarium, et affige inimicum*. Hanc petitionem perfectissime Christus Dominus adimplevit: nam si ad pristina illa, quae in lege naturali, et scripta patravit mirabilia, mentis aciem convertamus, longe his sae inferiora, quae in lege gratiae observantur, facile delemus, ex quo manifeste constat, quomodo signa innovavit, immutaverit mirabilia, et glorificaverit manuum, et brachium dextrum, et adversarium generis humani devicerit. Si in lege naturae apparuit arcus, quem vidit Noe, tribus coloribus insignitus, in signum foederis, et pacis: ecce nunc in praesepe splendidiorem arcum, tribus substantiis compactum, divinitate, anima, et corpore. Fecit olim Ezechias solem retrocedere decem lineas; ecce Solem iustitiae, qui carnem nostram assumpsit, usque ad decimam lineam retrocessit: natura enim humana decimum locum habet post novem choros angelorum; unde David dixit (Ps. 8): *Monstravit eum paulo minus ab angelis*. Novitatem huius operis contemplant Damascenus (lib. 2. de fide c. 3) dixit: *Opus hoc est novum novorum maximum, et quod solum novum sub sole est, per quod infinita Dei apparet virtus*. Floruit quondam sacra virga Aaron; at nunc ecce virgam de radice Iesse, interemerant intelligo Deparvam Mariam, quae concipiens, gravida, et parturientis virginitate semper floruit. Ac tandem, ut plura paucis comprehendam, quae omnia persequi impossibile esset, Deus olim Babylonicos aedificatores irritis, et linguas eorum confudit: Sodomam, et Gomorrhaim igni devorante extinxit: Datan, et Abiron a terra deglutiri mandavit: Aegyptiaca flumina in sanguinem convertit: infestissimis ranis, et muscis Pharaonis terram implevit, ac tandem ipsum, eiusque equitatum in mare demersit. Ecce haec omnia signa, Christo recens nato, innovata, et immutata cernimus iterum: qui antea Deus erat ultionem, nunc adest Deus misericordiarum, et totius consolationis, ut ait Paulus: ecce tunc manifestabat Deus omnipotentiam suam in puniendo; at Christo recens nato, ostendit illam in parcendo. Unde catholica Ecclesia canit: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo, et miserando maxime manifestas, et cet.* Oilm

molestiam de caelo tonando, et fulgurando debebat; nunc autem vagiendo, et in praesepio lacrymando apertus illam nobis demonstrat. Vere ergo Christus Dominus adamusim implevit in ortu suo, quod Ecclesiasticus postulaverat: *Innoxa signa, et immuta mirabilia, glorifica manum, et affige inimicum.*

HOMILIA XI.

Ex antiqua humani amoris figura positus in praesepio Christus amoris verus esse Deus ostenditur.

Inter alia simulacra, quibus veteres amoris Deum exprimebant, illud est singulare, et nostro proposito valde conveniens, quod depingebatur aetate florens, et pulcher, veste asperata indutus, aperto capite, pectore nudo, instar vitri, corde conspicuo, una manu calceamenta, altera tenens hanc epigraphen: *Ius meum alteri tribuo.* Cuius figurae partes explicabo sigillatim, et divini amoris artificii Christo Domino mirabiliter convenire declarabo. Pingebatur in primis adolescens, et pulcher, quoniam illa aetas potissimum amoribus inservire solet, corporisque venustas illecebra est: immo et arcus ipse, unde sagittae prodeunt, quibus amantium corda sauciantur. Detectum habebat caput, quoniam amans nullus debet temporum iniuriis ab amore deterri: cor autem vitreum, quoniam nulla esse debet inter amantes simulatio, vel occultatio consiliorum: caeci denique, et inscriptio iam relata proprii iuris cessionem indicabat. Calceamenti datio id etiam apud Hebraeos significabat, ut ex libro Ruth constat, ubi legitur (c. 4): *Hic autem erat mos inter propinquos, si aliquando alter alteri iuri suo cedebat, solvebat calceamentum suum, et dabat proximo suo.* Haec amoris, ut superius descripta est, effigies amori tantum humano conveniebat; sed multo profecto excellentius amoris vero Deo Christo lesu aptabitur, dum in porticu Bethlehem iacet humilis, qui est in sinu Patris altissimus: nam si genium antiquitas falsum amoris Deum vultu pulchrum figurabat; quae unquam pulchritudo potuit aequari Christi pulchritudini, cum sit, quatenus Dei Filius, vivum exemplar, et naturale simulacrum Patris; vel, ut dixit Apostolus (Heb. 1): *Figura substantiae eius?* Quatenus autem homo, adeo formae dignitate, et venustate praestat, ut a Davide fuerit appellatus (Ps. 44): *Speciosus forma prae filiis hominum.* Duplex pulchritudinis genus possumus in hoc divino infanthulo contemplari, unum corporis, alterum mentis: utroque mirabiliter cunctis mortalibus praecellit. Nam si de corporis forma loqui velimus, non est cum illo Moyses, ab omnibus habitus pulcherrimus, comparandus: quoniam si adhuc puer fascis involutus, et canistro impositus Moyses nimia vultus elegantia filiam Pharaonis in amorem sum pertraxit, et cum iam adolevisset, dum per

viam incedebat, ut refert Iosephus, eius admirantes venustatem opifices ab operibus abstinabant, ut eius gratissimo aspectu fruereantur; quis non fatebitur multo maiorem, et excellentiorem esse formam Christi nascentis? de quo dixit Hieronymus (c. 9. super *Matthae.*): *Fulgor ipse, et maiestas divinitatis occultata, quae etiam in humana facie relucebat, ex primo se videntes trahere poterat aspectu.* At si de spiritali pulchritudine loquamur, infinitus sermo noster erit: satis vero nunc sit dicere, illius elegantiam specie ipsos caelestes spiritus, et tam Ecclesiae militantis, quam triumphantis iustos, et Sanctos decorari, ac pulcherrimos reddi. Cuius pulchritudinis in Christo mirifice fulgentis egregia figura capilli Absalonis fuerunt, quos ab Israeliticis puellis usurpatos, et propriis crinibus intextos ad maius suorum ornamentum, non obscure sacra pagina indicat, cum dicat Absalonem singulis annis illos vendere solitum centum siclis. Itaque sicut venustas Absalonis non tantum sibi utilis, et decora erat, sed etiam aliis; sic etiam pulchritudo spiritus in Christo tanta fuit, ut capitis sui capillis, id est suis meritis, multo decensius, et pulchrius, quam Israeliticae virgines, animae piorum exornetur. Ad cuius rei intelligentiam notandum est, triplicem esse in Christo gratiam: ex quibus prima, et praecipua est Verbi divini hypostatica unio, per quam Christo, quatenus homini, increata Dei pulchritudo communicata fuit. Secunda gratia est, quae vocatur habitualis, qua tamquam supernaturali qualitate anima nostra illustratur, ut divinis oculis grata sit, et amabilis. Tertia gratia a theologis dicitur gratia capitis Ecclesiae, quae gratia eadem est, quae unionis, et habitualis, prout in huius mystici corporis membra influit, quorum caput est Christus, ut dixit Paulus (ad Eph. 1): *Ipsam dedit caput super omnem Ecclesiam.* Cum igitur gratia secundum naturam suam sit animae nostrae decus, et ornamentum, sequitur inde manifeste, per eius communicationem, et transfusionem in iustos ex influxu capitis ad membra, pulchritudinem Christi tantam, et talem esse, ut per illam animae ornetur multo melius, et pulchrius quam auratis Absalonis crinibus Israeliticae honestabantur mulieres.

Erat amoris indumentum ex panno forti, et aspero, quoniam amor non ad breve tempus, sed in longum duraturus est: quod certe Christi amori optime convenit, quandoquidem sicut ipse, ita et amor eius aeternus est; unde inquit (Ier. 31): *In charitate perpetua dilectus te:* nam simul cum natura, quam a Patre per aeternam accipit generationem, communicata ei fuit singularis in humanum genus voluntas, et charitas, qua semper nostra commoda perquirat; unde quamvis post mundi creationem semper ab homine redavit in Deum humanarum calparum Aquilo, non tamen potuit extinguere huius divini amoris incendium; immo post innumera huiusmodi peccata, ut eis remedium afferret, voluit tandem homo fieri, et puer nasci, propriis doloribus nobis parrens salutem, et suo sanguine animarum parrens redemptionem.

Amoris caput apertum, et expositum coeli, ac temporis incommodis, insinuabat nihil arduum, aut difficile futurum amantibus, sed potius pericula quaevis fortiter subeunda, ut quem amant teneant. Non minus id Christo accommodabitur, cum dicat Evangelista, illum nascentem, non purpureis ornamentis, sed pannis obvolutum: *Et pannis eum involvit: cuius fuerunt canubula praesepio: Et posuit eum in praesepio, ubi frigore dolens, et nuditate, ac praesepii duritie afflictus in foeno recumbere dignatus est, ut cantat Ecclesiae Hymnus:*

Foeno iacere pertulit,
Praesepe non abhorruit.

Quiescamus hic aliquantulum: nam Deus, et in praesepio, cui non iniicit stuporem? Contemplamur quaevis mysterium, rem tantam profunda meditatione pendentes, ut summam Dei in nos charitatem cognoscamus. Memoria teo- no, quod notata dignum censui, tantum huic mysterio aptissimum, referri a Piero Valeriano (lib. 52), Mercurium effingi a veteribus solitum in basi saxea positum, pedibus carentem, et manus fascis involutas habentem, cum haec inscriptio: *Pro verbo solido, et firmo:* quoniam quemadmodum qui pedibus caret, et manus habet impeditas, si alicui loco sit affixus, movere se propria ope non valens, eodem loco semper manet; sic verbum nostrum non mutari, sed certum, et constans esse huius debet, quibus semel promissimus. Unde dixisse videtur Poeta:

Verba ligant homines, tanquam cornua fimes.

Sed ut monuit Augustinus, capiamus ab Ethnicis, tamquam iniustus possessoribus, quae ad fidei nostrae declaranda sacramenta magis apta videbantur, ideoque Mercurii simulacrum hodierno mysterio applicemus. Est enim Mercurius non solum, ut modo dixi, figura firmi verbi hominum, ut patet antiquitas, sed imago etiam habet inepta esse potest Verbi nascentis in praesepio, cum singula quae de Mercurio dici solent, excellentius, et verius de Christo dicantur: nam si Mercurius Dens scientiae, et eloquentiae habebatur, falso id, et mendaciter; Christus autem, ut veritas catholica docet, est discretissimum Patris Verbum, eiusque summa, et mitis sapientia, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei. Si Mercurius iuxta gentium vanam opinionem tantum supererum, quam inferorum munium nuncius erat; Christus aeterni Patris est nuncius, et quasi de latere eius legatus Apostolicus, propterea dictus ab Isaia *Magni consilii angelus*, cuius tam plena est iurisdicatio, et facultas, ut in quibuscumque casibus ipsimet Deo reservatis dispensare queat, ut fecisse vidimus in ortu suo, dum nascens ex Virgine, ab omni labe, et dolore immunem, et illaesam illam praeservavit. Mercurius nullos; Christus adeo teneros pedes habet, ut illis adhuc infantulus ut minime possit. Mercurio manus erant alligatae, et Christo pannis involutae, et ut canit Ecclesia:

Manus, pedes, et crura
Stricta cingit fascia.

Si denique inscriptio apposita Mercurio dicebat: *Pro verbo solido, et firmo;* adeo haec firmas, et soliditas Christo convenit, ut ipse solus sit Verbum aeternum, de quo Propheta dixit (Psal. 18): *In aeternum Dominus permanet verbum tuum.* Sed illud est longe mirabilius, quod existens Christus Verbum aeternum, in quo omnia Patris arcana reconduntur, et ipsamet Dei sapientia, quae coelum tot stellarum fulgore decorum fabricavit; quae intra terrae viscera auri mineralia, et intra maritimas conchas creavit uniones; quae foliis arbores, herbis prata, floribus viridaria, messibus agros, velleribus oves, pellibus pretiosos mures ponticos, et martes, plumes volucres vestivit, vult pannis vilibus obvolvi, et humilis in praesepio collocari. Quis igitur tantam non admirabitur pauperiem? Quid de frigore, quod passus est, loquar? Elegit natali suo medium hyemis tempus, et noctem prae ceteris frigidam; cumque facile posset aeris temperare saevitiam, et igneae sphaerae imperare, ut propius accederet solum calefactura conditorum; vel mutare, et transmittere solem a Capricornio in Arietem, ut olim ad Iosue preces illam morari, et decem lineas retrocedere iusserat Ezechiae tempore; vel frigoris colibere virtutem, et vehementiam, quemadmodum igni quondam vim comburendi abstulerat, ne tres pueros in fornace Babylonis absumeret; haec, inquam, etsi facere poterat tantquam universae naturae moderator, et dominus, noluit tamen transgredi usum naturae communem, nec eius violare leges, sed absque ullo privilegio naturae ordinis subiciit eam, et alia temporis, et aeris incommoda pati voluit, inopiam, summamque pauperiem, quam ut fugiant mortales, nullis se non difficultatibus obiciunt: quod poeta Venustus eleganter expressit his verbis:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare, pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Nec mirum, si reliquis hominibus tam molesta censeatur pauperies, cum et Salomon ipse omnium sapientissimus illam horruerit, ut indicant eius haec verba Deum alloquens (Prov. 30): *Pauperitatem ne dederis mihi;* Christus autem dilexit eam: *Ut sua inopia divites essentem,* atque illa dilexit, ut ab incannabilis, et cum lacte materno illam susxisse videretur, sicut de ipso testatus est (Psal. 87): *Pauper ego sum, et in laboribus a venturitate mea.* Quae pauperitas Christo fuit non solum toto vitae spatio, sed in ipso mortis tempore charitissima: nam et mortens sionem, quae tegeretur, non habuit, nisi quam vir quidam nobilis misericordia motus obtulit ad ipsum sepeliendum. Quae omnia Hieremias propheta (Ier. 14) multo ante cognovit, quoniam ubi nostra vulgata legit: *Quare colonus futurus es in terra?* alii vertunt, *Quare peregrinus futurus es in terra?* ac si dicat, quare tu Domine, cum sis princeps aequalitatis, et primogenitus, haeresque universalis Dei Patris, esse vis pauper, et videri mendic-

cus more peregrinorum, tristo, et panno pallio humanitatis indutus? Causa est, o Propheta sancte, quod puer hic Deus est, peregre veniens; atque ideo ritum peregrinantium gestat contemnimus, et pannosus apparat, cinctus undequaque humanitatis amiculo, quod impetit frigus, tempus offendit, et arterit: quae detrimenda, etsi humanae naturae propria, quoniam illa Deus homo subire voluit, et illis quasi pannis involvi, plurimum tamen inde accipere decoris, et ornamenti. Quam ob rem licet olim paupertas tam contemneretur, et tanto apud homines odio haberetur, ut propheta David illam fuerit malis, et peccatoribus imprecatus, cum dixit (Psal. 108): *Transferantur illi eius, et mendicent*; nunc iam postquam Dei Filius illam amplexus est, reddita est pretiosa in conspectu eius, et tanquam sancta colitur, exemplo et iussu summi Pontificis Christi, qui amans, et venerans paupertatem, quanto eam in honore habere debeamus, edocuit. Adest enim ipse hoc tempore positus in praeseptio tam egenus, et inops, ut sicut olim Deus ironice dixit de Adamo, illum irridens: *Eccc Adam quasi unus ex nobis factus est*, sic etiam nunc asseveranter, et absque ulla ironia dicere de Dei Filio iure possumus (Gen. 3): *Eccc quasi unus ex nobis factus est*: nam si patimur incommoda, et his ipse subiicitur: si paupertate vexamur, pauper ipse, et mendicus est; ac tandem si morimur, ille quoque mortalis est. Quod si percontaris, cur Dei maiestas his se difficultatibus, et laboribus submiseric? idem nobis hisce verbis respondet (Psal. 45): *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus*. Quae verba, ut mea sententia est, aptissima sunt ad omnem de hac re quaestionem dissolvendam, et quibusvis ambiguitatibus satisfaciendam. Cur Domine natus ab aeterno in sinu Patris, vis in tempore de matre nasci in stabulo? *Quoniam ego sum Deus*. Cur existens ubertatis auctor, et ipsamet copia, paupertatem elegisti, et inopiam? *Quoniam ego sum Deus*. Cur gaudium, et delectatio angelorum cum sis, nunc in praeseptio recubans lacrymaris? *Quoniam ego sum Deus*. Cur coelum, et terram implens tua immensitate, hanc ipsam nunc intra pueri recens nati parvitate includis? *Quoniam ego sum Deus*. Cur demum fons existens omnium bonorum, Ita indiges, ut omnia desse tibi videantur? *Quoniam ego sum Deus*. Sed quamvis his verbis, tanquam universali ratione omnibus iis, et aliis id genus dubitationibus satisfiat, nequeo tamen ad alia progredi, quin Dominum, et Redemptorem nostrum interrogem in hunc modum: Cur benignissime Iesu, si tu dixisti: *Beatus dare, quam accipere*, illum modo vis inire, et amplecti vitae rationem, quae te non dare, sed ab aliis accipere cogat? Nam si homo nasceris, indiges aere, quo respiras; lacte quo nutris, pannis quibus vestiaris, et praeseptio, in quo recubas. Memini dixisse de te Prophetam, inter alia, quibus emines, illud esse singulare, quod bonorum nostrorum non egenus (Psal. 15): *Tu es Deus meus, quoniam bonorum meorum non egens*: quomodo igitur nunc tanta laboras egestate, ut bona, quibus nos fruimur, mendicare compellaris? Ego putaverim

Christum velle a suis creaturis aliquid accipere propter nimiam voluntatem, et amorem, quo tenetur eisdem beneficiendi, et donandi multo plura, quam accipit, ideoque sibi gratiam esse propriam egestatem, ut aliquid ab hominibus recipiens ex bonis nostris terrestribus, et caducis, teneatur quodammodo eisdem aperire thesauros beneficentiae suae, divinae, et aeternae largiendo. Quare licet inter homines verum sit: *Beatus esse dare, quam accipere*, in Christo tamen accipere, et dare, non diversa censetur: quoniam sive ille praebet, sive recipiat, eo semper intendit, ut se magis, ac magis hominibus faciat communem, quod maximum est divinae charitatis, et profusae liberalitatis argumentum.

Pingebatur quoque Amor corde instar crystalli lucido, quoniam nihil inter amantem, et amatum oportet esse secretum: quod, ut faceret Christus, venit in orbem terrarum, quae a Patre noverat nobis revelaturas, ut ipse testatus est (Joan. 15): *Iam non dicam vos servos, sed amicos, quia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Haec humano generi a Dei Filio data notitia divinarum, proprium, et manifestum eius in nos amoris indicium fuit; unde crediderim tam in sacris, quam in profanis litteris ignem propterea fuisse amoris figuram, et signum, quoniam flamma, et calor illius difficile occultitur: quod Ovidius attestatur hoc carmine:

..... quis enim bene celet amorem?
Eminet indicio prodita flamma suo.

Sed praeclearissime id nos docent Dei ipsius verba, qui, ut memoratur in Genesi, Solomonam devastaturus, sibi videbatur iniuriam facere amico suo Abraham, nisi prius ei, quod facere meditabatur, aperiret: ait enim (Gen. 8): *Nun celare potero Abraham quae gesturus sum?* Hinc etiam polissima Dalilae querela erat de Sampson, quod ille secretum suae fortitudinis sibi non revelaret: opinabatur enim se ab illo non amari, dum qua corporis parte valebat, se ipsum celabat. Sed procul nos absumus ab huiusmodi querela, cum pectus illius erga nos nudum sit, mens aperta, et cor crystalli lucidius, cuius praefalgente luce quasi conspiciuntur orthodoxae fidei, inspicimus divini pectoris arcana iam ita perspicua, et omnibus nota, ut a pueris de ludo egredientibus vix prima litterarum rudimenta edoctis per vias cantantibus promulgentur. Calceos denique, et inscriptionem manu genere diximus amorem, et ab utraque re propriae voluntatis negotiationem significari, ex sacra historia notavimus, quod Christo optime convenire nunc breviter monstremus. Fuit Dominus noster Iesus viator pariter, et comprehensor; atque ita, licet verum sit, quod quatenus comprehensor, nullum gratiae, vel gloriae accipiebat augmentum, ut tamen erat viator, operibus suis non sibi, sed nobis utrumque merebatur; ob idque cantat Ecclesia: *Nobis datus, nobis natus*. Quare ab instanti suae conceptionis omne ius, quod propter opera sua ad essentialis praemium sibi debitum habebat, nobis integre cessit, sibi que

factum satis putavit, si nobis, quae ille promeruit, praemia donaverit, et destinata suis laboribus, et doloribus mercede locupletaverit. Tantam mutuae voluntatis, et verae benevolentiae conjunctionem inter Alexandrum, et Hephæstionem viguisse historiae commemorant, ut post speratum devictumque Darium, cum mater eius, et filiae ad tentorium Alexandri Hephæstione praesente venissent, et ad Hephæstionis pedes, Alexandrum esse putantes, procubissent, ac mox agnito errore se apud Alexandrum excusarent, ille responderit: *Nihil interest, nam Hephæstion est Alexander, et Alexander Hephæstion*: quibus verbis insinuassee videtur dictum Platonis: *Amicus alter ego*. Si ergo Christus dixit (Joan. 15): *Iam non dicam vos servos, sed amicos*; merito dicemus tantam eius in nos esse charitatem, ut quem nobis Pater aeternus honorem, vel commodum impartitur, non secus habere soleat, ac proprium, quod non aliunde est, quam ab amore, ut dixi, et cessione honorum, quae sibi cum debeatur, nobis donari gaudet, ac procurat; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XII.

De universa laetitia, et magna pace, quam Christi Domini altissimi nativitas, et quanto ille pretio utramque paraverit.

Desiderans propheta Isaias singularem, et ingentem laetitiam Christo nascente futuram, quam iam ipse animo conceptam praeviderat, quibus maxime posset verbis exprimere, illam cum triumphantium gaudium, et messum colligentium alacritate, et oblectamento comparavit: Prophetae verba sunt: *Laetabuntur in te, sicut qui laetantur in messe, sicut exultant victores capta praeda, quando dividunt spolia*. Gaudet quidem agricola dum semenem facit: gaudet uberis gravis onustas; sed plane multo magis gaudet, cum manipulos colligit inaequa falce, cupidos congestos ducit in aream, terit, ventilat, et aggerat, ac tandem lactus, et gloriosus in horrea deducit. Non secus antiqui Patres Christe, tanquam semenis tempore in spe fructus, gaudium non sunt adepti perfectum: nos autem tempore messis, quod illi speraverunt, habemus carne indutum Dei Verbum, et quasi frumentum plusquam siligineum, granario Bethlehemi, quae significat domum panis, inclausum possidemus, ideoque nostra laetitia longe maior, et cumulatio est. Confert etiam idem Propheta hanc laetitiam cum exultatione praefluentium, quando confecto iam feliciter praefluctu virescunt, et hostilia castra diripiunt, spolia, et exuvias partiuntur: quod gaudium cum omnium sit maximum, facile inde patere potest, quanta universae naturae Christo nascente fuerit exultatio. Sed non tam mihi est huius gaudii magnitudo, quam univ-

ersa mirabilis: nam si de Baptista Ioanne dictum est (Luc. 5): *Multi in nativitate eius gaudebunt*; de Christo dixit angelus (ibid. 2): *Gaudium magnum erit omni populo*. Hoc enim gaudium non solum se in omnes provincias, et nationes diffudit, sed ad ipsum usque caelum, et triumphantem Ecclesiam, nec tantum ad res creatas, sed ad earum auctorem penetravit. Ut autem hinc incipiam, si iuxta magnitudinem amoris, quo proprius genitor filium prosequitur, gaudium eius est in die quo filius natus fuit, cum aeterni Patris amor, quo naturalem sibi Filium Christum amplectitur, summus sit, et infinitus, dubium certe non est, parem huic amori fuisse laetitiam, dum illum in terris natum intulerit. In cuius rei figuram legitimus gaudium Abraham fuisse maximum, ac pene incredibile ex nato sibi filio Isaac, qui risus interpretatur, sicut mater eius dixit (Gen. 21): *Risum fecit mihi Dominus*. De hoc gaudio nulli explicant illa verba Christi (Joan. 8): *Abraham desideravit videre diem meum, vidit, et gavisus est*. Quid vero desiderabat Abraham videre nisi Christum natum, quem mente vidit, et laetatus est? Angeli quoque magno sunt gaudio perfusi, ut illorum indicant suavissima voce, et coelestes Hymni, quos in tenelli infantis ludem cecinerunt (Luc. 2): *Facta est cum angelo multitudo coelestium spirituum, laudantium, et benedictantium Deum*. Fuerunt et pastores eiusdem laetitiae participes, ab angelo audientes (ibid. 2): *Eccc annuncio vobis gaudium magnum*. Reges quoque ab Oriente in porticum Bethlehemi festinantes magna laetitia affectos memorat Evangelista, dicens (ibid.): *Gavisus sunt gaudium magno*. De Virgine loqui poterit? quis eius cogitare, nedum explicare laetitiam valebit, quam ex tam felici partu percipit? Nam si quaelibet mulier tantum concepit gaudii, cum peperit filium, ut dolores, et cruciatus, quos antea sustinuit, pene non recordetur, sicut dixit Christus (Joan. 16): *Non meminit pressurae propter gaudium*; quanto maius, et excellentius Virginis gaudium esse credemus, quae a doloribus, quos aliae matres tolerare solent, alienissima fuit? Philippum, Macedoniae regem historiarum monumenta referunt, cum audivisset natum sibi filium Alexandrum, tanto fuisse gaudio correptum, ut a Diis postulaverit aliquid adversi, quo suae laetitiae ex tam felici nuncio acceptae vehementia, et excessus temperaretur. Quod si Alexandri nativitas tantam altitudinem laetitiae Philippo patri, qui tamen nesciebat qualis futurus esset Alexander: quis dubitet Virgini matri Christum nascentem multo plus altissime iucunditatis, et exultationis, cum iam ab angelo audivisset (Luc. 1): *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur*? Praeterea si matrem generis humani Evam legitimus gavisam propter partum, quoniam dicere poterat: *Possedi hominem per Deum*, praestantius, et iustius poterit Virgo sanctissima de partu suo laetari, cum vere dicere possit: *Possedi hominem Deum*. Ex quo etiam videmus Iosephum Virginis sponsum dum anxius erat, et merebat, de praegnantis sponsa sollicitus,

fuisse laetitia recreatum ab angelo dicente, *Pariet filium*, etc. Ad haec, si, ut refert Porphyrius (in vita Platonis), diem, quo ille natus fuerat, magno, et singulari gaudio eius discipuli celebrabant; rationi consonum est, et acquissimum, ut qui disciplinam Christi sequuntur, natalitia eius colant, et venerentur puritate mentis, et studio sanctitatis. Fuit denique nativitas Christi laetitia per omnes mundi partes tam propagata, ut illius quoque fuerint participes antiqui Patres: eos enim suavis hic odor floris de radice lesse, etsi longe remotos, exhilaravit. Ad cuius rei confirmationem adducam Zenonis docti auctoritas adagium: *Lupus circa puteum choream agit: quod ut intelligatur, nolandum est, lupum sibi fatigatum ad puteum accedere, et circa illum vagari solitum, ut aspectu aquae, quam haurire non potest, saltem delectetur. Christus in sacris litteris putens vocatur; unde illud (Gen. 4): *Puteus aquarum viventium*: quae aquae ante illius Incarnationem, et nativitatem tangi, vel hauriri non poterant, quoniam in profundo aeterni Patris sinu erant: *Apud te est fons vitae*, quem antiqui Patres sibi laborantes cum adirent, aquam exoptantem haurire non valentes, eius intuitu gaudebant, et a longe salutabant iuxta Pauli verbum, *a longe aspicientes*, et salutantes. Ex quo infero, tantum inter nos, et illos esse discrimen, tantum inter nos, et illos esse aquae peculium, quantum est inter bethlemam bibere optat, ac solo aspectu delectatur: Patres nostri hunc fontem aquarum a longe, ut dixit Apostolus, aspexerunt, nos autem dulcissimum eius potum gustavimus, et experti sumus: illi Christo tanquam flore, nos tanquam fructu potiti: spe illi, nos possessione gaudentes: illis Christus promissus, nobis datus, et natus: illis facta sponsio thesauri, nobis representata solutio, et tanquam in tabella nummularia solutio, et tanquam in habitum, quod spondederat Pater aeternus. Fuit denique haec iucunditas tam universalis, ut ad mortuos ipsos, et profundum sinum Abrahae penetraverit, cuius gratissimo nuncio primo vivebant: pater summe gavisus est, quippe noverat per hunc secundum Adamum Dei natum in terris Filium, quidquid humana natura detrimenti a primo genitore susceperat, fore rescindendum. Laetatus est Noe, contemplan non amplius esse opus arca, qua mortale genus a divina irae inundatione liberaretur, cum iam gratiae arcus pacis insigne mundo apparuisset, Verbum nempe humanitate indutum, cuius figuram gesserat arcus, quem ipsa transacta iam aquarum multitudine viderat. Laetatus est patriarcha Abraham, videns quod Deus sibi promiserat, impletum in Christo, quem de semine suo futurum expectabat. Laetuli est et Isaac, cuius olim aperti fuerunt oculi ad videndum lucem a Deo promissam, et cognoscendum sacrificii mysterium, cuius ipse puer figuram sustinuerat. Laetatus est Iacob, visurus divinum Ioseph, non quidem suum, sed Dei Filium, cuius salutarem aspectum vehementius, et ardentius, quam olim filii sui Iosephi praesentiam, desiderabat. Laetatus est divinus ille poeta, et citharoedus suavissimus*

David, quoniam Christo nascente dubius, vel anxius esse non poterat, quomodo responderet interrogantibus (Psal. 41): *Ubi est Deus tuus?* poterat enim dicere verissime, Deus meus est in praeseptio porticus Bethlehem. Laetati demum fuerunt omnes antiqui Patres, ob Christum natum gaudio triumphantes: noverant enim ab illo longum ipsorum exilium terminandum, et ab ipso obscuris carceribus eductos, et caligine liberatos, in lucem, et libertatem perpetuam reducendos. Haec omnia irritamenta laetitiae videtur mihi contemplatus Papa Leo sanctissimus, cum de Christo nascente loquens, haec aetrea, et digna eius eloquio, ac pietate verba protulit (ser. de Nativ.): *Salvator natus est hodie, gaudeamus dilectissimi: nec enim fas est locum esse tristitiae, ubi natalis est vitae. Exultet Sanctus, quia appropriat ad patrum; gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam; animetur gentilis, quia vocatur ad vitam; a libi inquit: Exultemus in Domino dilectissimi, et spirituali iucunditate laetemur, quia illucit nobis dies redemptionis novae, reparations antiquae, felicitatis aeternae. Cuius verbis mirifice consonat Augustinus in hunc modum (ser. 13. de temp. tom. 10): Merito hodie laetati sunt coeli, gratulati sunt angeli, pastores iucundati, Magi invitati, reges turbati, martyres coronati, daemones effugati. Dicamus ergo cum gaudio sanctae Virgini, lacta mater Christum, lacta pater de coelo venientem. Bernardus etiam (in serm. de vigil. nativ.), invitans omnes ad laetitiam, inquit: *Vox exultationis audita est in terra nostra*, quae verba ex Cantici cantico- rum desumpta sunt; posuit tamen sanctus Bernardus nomen unum pro alio, nam pro turbine substituit exultationem, nec dixit: *Vox turturis audita est, sed, Vox exultationis audita est in terra nostra*: quod non temere, sed considerate, et magno cum mysterio mutatum a viro tanto credendum est. Quid enim vox turturis cum voce laetitiae commune habet? Nam vox, et cantus turturis, suspiria sunt, et gemilus, ideoque turtur tristitiae gerit symbolum: unde sicut gaudium, et moeror non bene conveniunt, sic turturis, et exultationis nulla esse convenientia videtur. At revera, ut dixi, non sine causa id mutavit Bernardus: nam in die Nativitatis Christi gemitus turturis in laetitiae cantum commutatus fuerunt; quod, ut doceret Bernardus, vocem gemebundae turturis in vocem exultationis commutavit, dicens: *Vox exultationis audita est in terra nostra*.*

Si tamen scire gestimus causam lactae, ac tam eximiae laetitiae, quamvis prima eius causa sit Christi adventus; ego tamen puto hoc ipsum gaudium multum accessisse incrementi ex duplici causa. Prima ex prodigiis, et mirabilibus, quae divina operante virtute hunc acciderunt, de quibus licet permulta in superioribus dixerim, pleraque alia mihi dicenda supersunt. Si miraris, populo Israelitico divinum fuisse mare rubrum, modicum est: ecce infinitus oceanus, plenitudo nempe divinitatis habitans in Christo, corporaliter, et modico corpore vasi concluditur. Miraris, quod rubus arserit incombustus, parum est: ecce Virgo parit intacta. Miraris, quod virga Aaron abs-

que alio humore fronderit? nihil est prae hoc singulari portento, ac prodigio omnium maximo: quia ecce Virgo regia sine virili opere Deum, et hominem parit. Miraris eximium prophetam Moysen positum in fiscella, et flumini Niliaeo expositum? et hoc quidem parum est: Mirare amplius Regem coelorum positum in praeseptio. Miraris columnam ignis, et nudem populum per deserta ducentem? mirare potius ignem Deitatis flagrantissimum, tenui nubecula clausum, ducem, et magistrum orbis exortum. Quid dicam amplius? Miraris retroactum solem mandato Iosue in Gabaonitarum defensionem? mirare potius humiliatum Deum, Verbumque illud Patri coaeternum carnem factum. Miraris Eliam prophetam magnum puero viduae hospitis suae filio commensuratum? Miraris etiam Elisaeum eius discipulum super defunctum Sunamitidis puerum incubantem, ponentemque eos suum super os eius, et oculos suos super oculos eius, ut illum resuscitaret? mirare potius divinam illam maiestatem in exiguo puero incurvatam, ut ad vitam per aeterni Verbi Incarnationem revocemur. Sed quid miror? dies me defecerat ad dicendum, si singulari singulari applicarem. Umbra quidem illa erant: ad veritas in Bethleem adest: in huius typum, et figuram illa facta sunt: *Lux per Moysen data est, et veritas per Christum facta est, omnia in figura contingebant eis*. Haec in nativitate nova, inaudita, et insolita visa sunt (Psal. 95. et 97): *Cantate ergo canticum novum, cantate Domino omnis terra: et iterum: Cantate Domino canticum novum, quia mirabilis fecit. Pro novo natali, et novo nascendi modo merito David novum canticum expostulat. Isaiae nunc impletur oracula: Ecce ago facio nova, et nunc orientur, utique cognoscetis ea. Ad haec Ioannes (Apocal. 21): Dixit, qui sedebat in throno, ecce nova facio omnia, Nova mater, seu puerpera, quia mater, et virgo: Ecce Virgo concepit, et pariet filium. Novus Filius, quia Deus, et homo: Vocabitur nomen eius, Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus. Novum gaudium angelicum: *Facta est enim angelo multitudo militum. Novum canticum cum iubilo: Gloria in excelsis Deo. Novus infans, natus innocens, et sanctus: Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Novus Princeps (Is. 9): Princeps pacis. Novus Rex aeternus: Regni eius non erit finis. Novus pugnator, nempe omnipotens: Dominus quasi pugnator, omnipotens nomen eius. Nova pugna, nempe profundissima humilitas, ac sui ipsius exinanitio, ut ait Apostolus. Arma vagientis lacrymae, altissima eius paupertas contra superbiam, et avaritiam: *Nova bella elegit Dominus*. Nova victoria sicut in die Madian: *Lugrum oneris eius, et virgam humeri eius, et sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian*. Novus testator, novi testamenti mediator, ut ait Paulus. Nova lex, lex amoris: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*. Nova consilia Evangelicae perfectionis: *Si vis perfectus esse, vende omnia, quae habes, et da pauperibus*. Nova denique praemia, nimirum coelestia: *Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelo*.**

His adiungam, triplicem esse nativitatem:

ex Patre sine matre nascitur Deus aeternaliter: de matre sine patre nascitur homo temporaliter: de mente etiam iusti nascitur spiritualiter. In mente enim concipitur per affectum, nascitur per effectum, nutritur per profectum: De Patre nascitur Deus creator, de matre nascitur Deus redemptor, de mente nascitur Deus iustificator. De Patre nascitur sublimitas, de matre nascitur humilitas, de mente nascitur misericordia, et veritas. Verbum aeternum nascitur ex Patre, Verbum supernum ex matre, Verbum in aeternum ex mente. Prima nativitas ex Patre mirabilis, et incomprehensibilis, sicut scriptum est (Luc. 2): *Generationem eius quis enarrabit?* Unde prima Missa cantatur nocte, in qua agitur de hac occultata generatione, scilicet: *Dominus dixit ad me*. A parte autem est natus ex matre, licet mirabiliter, et miraculose. Pastoribus enim, et multis aliis manifesta est eius nativitas: unde Missa tertia, quae de hac nativitate inchoatur, scilicet, *Puer natus est nobis*, cantatur aperta, et clara die. Nativitas autem illa, quae nascitur spiritualiter in mente, vel ex mente, non est ita occulta sicut prima, nec ita aperta sicut corporalis nativitas ex matre: unde secunda Missa, scilicet, *Lux fulget*; quae agit de mentis illuminatione per gratiam, in difuncto decantatur, de qua scriptum est (Malach. 3): *Vobis timentibus Deum orietur sol iustitiae*. Sequitur: *Filius datus est nobis*. Igitur divites facili sumus: qui enim possessorem omnium habet, in illo cuncta possidet. Avarus autem, cui omnium possessor non sufficit, nunquam alia possessione contentus erit. Haec summi gaudii causam esse, nemo sane mentis infidelitatis, cum tot, ac tantis divitiis felicissimum Christi natale nos omnes complectaverit. Sed praeter hanc est et alia a pacis promulgatione orta, quam angelus publicavit, inquit: *Et in terra pax hominibus*. Pax enim mater laetitiae est, et spiritualis gaudii origo; sicut contra dissensio, et discordia innumerabilem poenarum, et dolorum, quibus anima torquetur, maxima causa est. Plinius (de natur. hist. lib. 10. c. 32) scribit, dum maritimae volucres alyceones prope litus maris nidificat, ova fovant, et pullos excludunt, mare dies quatuordecim, per quos hae aves foetui vacent, esse tranquillum, et nullis procellis obnoxium: hinc inter antiquos pro signo pacis alyceones usurpari solebant, et propterea Plantus vacuum a filiabus, et controversiis fororum significaturus dixit: *Alyceones sunt in foro*. Ad hunc quoque modum Virgo purissima quam coelestis alyceon nidum faciens sibi in porticu Bethleem, peperit nobis vultu auctorem, quo interim tempore omnes mundi tempestates conqueverunt, et pax, atque tranquillitas orta est, sicut David praedixerat (Ps. 71): *Orietur in diebus eius iustitia, et abundantia pacis*. Sed antequam ad alia me conferam, notare placet, ut ingeniose animadvertit Pierius, temporis rationem, et numerum excutiens, quando Christus nascebatur, alyceones ad maris litus nidificasse, et pullos fovisse: unde sicut illis praesentibus nulla erat in mari tempestas, ita Christus in porticu nascenti omnes fugavit priscorum temporum in mundo pro-

cellas, et coelum, et terram pace composuit, ex quo Paulus (Colos. 19) : *Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans sive quae in terris, sive quae in caelis sunt.* Tres esse possunt horum verborum interpretationes, quarum prima est Lyrensis (in suo comm.) dicens, quod ideo dicitur de Christo, *Pacificans sive quae in terris, sive quae in caelis sunt*, quoniam angelorum sedes instaurationis, quae in caelis sunt, quod gravis erat inter angelos, et homines dissensio, et simulata, quae tamen in gratiam Dei receptis hominibus sublata, et pax utrinque unita fuit. Possunt etiam Pauli verba interpretari de pace, quam Christus inter Deum, et homines fecit. Deus enim habitator est caeli praecipuus, homo vero iure haereditario terrae colonus. Sed considerandum est, non solum ad Christum huius pacis gloriam pertinere, sed ad ipsius quoque Matrem sanctissimam, quae sicut incarnationis, et nativitas, ita etiam huius universi mundo datae pacis causa non exigua fuit. Quod ut facilius persuadeam, scripsum in Romanorum annalibus de populo Romano, et Sabinis feminis historiam breviter apponam. Romulus postquam urbem Romam condiderat, cum feminarum numerus ad prolem idoneus non adesset, publicos ludos indixit, ad quorum spectaculum Sabinorum populi confluentibus mulieribus comitatu, Romani dum spectaculo erant intenti Sabini, illorum puellas arripuerunt, et sibi matrimonio copularunt. Id iniquo animo Sabini ferentes, patris post mensibus arma in Romanos capuerunt, et infestum, atque crudele utrinque praelium commissum fuit; sed dum illi mutuo saeviebant, quae fuerant Romanis nuptiae, filios inter brachia gestantes, pacem Sabinis ita suadebant: Quid in vestra viscera ruitis? arma ponite, si sapitis, nam Romanos si occiditis, filiarum vestrarum viros, vestrosque nepotes de medio tollitis; et ad Romanos conversae aiebant: iam satis furoris, et caecidis, nam si interfecistis Sabinos, avis vestrorum filiorum, et uxorum parentibus vitam eripitis. Quae verba animos eorum ita permoverunt, ut reiectis armis, odiisque depositis amicitiae foedus inierint, eisdem legibus, eisdemque imperio obtemperantes. Sed una de re tantum inter ipsos dissensio fuit, quod Romani aequitatem pro insigni, Sabini illos adhuc celebres characteres. S. P. Q. R. elegerant; quae tamen discordia facile fuit consopita Romani cuiusdam prudentis viri ratione, in Senatu dicens, litteras illas iam a Romanis, quam a Sabinis facere, nam si populus Sabinus illo oppendio inscriptionis litterarum gloriosus inuere volebat: *Sabinis Populus quis resistit?* postquam quoque Romanos eadem sic interpretando his respondere: *Senatus Populusque Romanus.* dumbrare haec historia videtur aliquantulum, tunc Christo nascente mortalibus contigit. In eum enim ab ipsa mundi origine bellum inter Deum, et homines fuerat, quod usque ad Christi felicissima tempora saevierat; prospiciens tamen beata Virgo Maria, quanta in hu-

manum genus mala ex hac Dei, et hominum simultate provenirent, Deum alloquens, inquit: Quosque Domine non misereberis? gladium quaeso reconde, et insillitiae tuae dexteram coerece: nam si in genus humanum ictum destinasti tui furoris, meos quoque parentes, et Filii tui avos interimes; et ad homines convertens sermonem ait: Quid o miseri ruitis in vos ipsos iamquam maceris: ne precor amplius male agendo, misericordiae Patrem Deum vestrum irritetis: vobis enim, non ei futurus est discordiae huius exitus perniciosus. Quae Virginis, et Matris verba tantae virtutis fuerunt, ut illico coelum, et terra se pacis osculo salutarerint, factusque fuerit, non ut antea dixi, ex Romanis, et Sabinis populus unus, sed unum Dei, et hominis, utriusque naturae coniunctione suppositum. Quatuor autem characteribus, Senatus Populusque Romanus, si Deus significare velit: *Sanctus Potens qui regnat*, ut innotat hominibus, sibi esse potentiam ad vindictam de peccatis sumendam; nos quoque respondebimus per eandem litteras intelligi debere: *Salva Populum quem redemisti.* Ex hac Dei, et humani generis pace singulare admodum beneficium in homines derivatum animadverto: nam si quondam in lege scripta solus Deus penes se habebat misericordiae claves; unde Pharisei, quando Christum audiverunt Magdalenae dicentem, remissa sibi esse peccata, dixerunt: *Quis est iste, qui etiam peccata dimittit?* at postquam coelum, et terra matum pacem acceperunt, dimittendi peccati auctoritas, et clavium facultas Dei ministris concessa est, aiente Christo: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Dum bellum viget, et timetur hostis, qui arcis alicuius custodiendae curam habet, solet claves sub cerviciale habere dum dormit, nec palpat se inconsulto ostium arcis aperiri, immo ipse ipse manu sua claudit, et reserat; pacis tamen tempore adveniente, cuius cura, et sollicitudo custodiendae arcis mandatur. Hoc in lege gratiae contingere cernimus: nam ante Christum natum propter assidua inter coelum, et terram semina discordiarum claves ianuae caeli a solo Dei cingulo pendebant; sed postquam ad nos veniens Dei Filius pacem promulgavit, dicens per angelum (Luc. 2) : *Et in terra pax hominibus,* iam ubique locorum adsunt sacerdotes, penes quos auctoritas est clavium, a quibus porta caeli reseratur, et beatae vitae thesaurus aperitur. Huius denique universalis pacis figuram fuisse narrat histori, Iani templum, cuius portae, ut scribit Plinarchus, tempore belli aperiebantur, et adveniente pace claudiebantur; quod factum esse in nativitate Christi Rosius his verbis testatur: *Nativitas Christi fuit anno Imperii Caesaris quadragentesimo secundo, cum facta pace cum Parthis Iani portae clausae sunt, et bella toto orbe cessaverunt.*

Sed, ut puris faciamus hanc pacem, atque laetitiam, quam admiranda Christi nativitas mundo attulit, perpendendum nobis est, quanto pretio utrumque comparaverit. Nam si laetatur, et in pace vivimus, id certe lacrymis eius, et laboribus debemus, qui angelo annunciantia pastoribus, et dicente: *Evangelizo vo-*

bis gaudium magnum, in praesepio tenellis dolet, et plorat, iuxta Ecclesiae Hymnum:

Vagit infans inter arcia
Conditus praeseptia.

Quae autem haec est tam nova, et tam inusitata novitas, quod dum in propugnaculo dux excubat, milites eius diem festum agunt, quasi victoriam adepti? Inspeciamus, quomodo dum rex lacrymas fundit, qui eius imperio parent, in risum profusi, atque laetissimi, carmina, et hymnos concinunt. Inaudita certe haec mihi res est, ac minime videtur decens: nam ut Sapientis dixit (Ecl. 22) : *Musica in luctu importuna narratio.* Quid igitur sibi vult, o clementissime puer, eorum quos tu creasti tam insolita, et importuna te plorante iucunditas, et exultatio? Si canendum nobis est, cane nobiscum, vel plora nobiscum si plorandum. Huius difficultatis solutio, et responsio est id, quod tamquam in huius rei figura accidit domi Abrahamae, ubi nunquam maior fuit laetitia, quam cum filii Isaac ablaetatus, et pane familiarum, et cibis coepit vesci communibus: unde quoniam divinus noster Isaac, a sinu aeterni Patris avulsus, et quasi ablaetatus, ad matris ubera sugeta venit instar mortalis, qui tibi est aeternus, et pane nostro vescens, qui panis est angelorum, ideo iure optimo universae Abrahami familia, et cui promissus fuerat, et omnes eius contubernales, dum plorat ipse, laetantur, dum dolet, et eius vagitus, et lacrymas angelici quoque spiritus inlucunt, concinentes: *Gloria in excelsis Deo.*

Superest videamus, quam fuerit ei gravis, et molesta haec nostrae pacis adeptio, quod nobis Moysis visum partim indicabit. Vidit enim rubrum ardentem, et non combustum, in cuius medio Deum quoque vidit, qui erat causa, ne rubus combureretur, vel aliquod ab

igne detrimentum acciperet. Notum est in sacris litteris, per ignem intelligi iram Dei, et furorem, sicut per spinas insinuantur peccatores: unde cum vellet irae divinae ignis adversus peccatores vim suam, et virtutem exercere, illum comprimit, et retardat Dei Filius humanitate indutus inter spinas, et ignem, id est, inter iram Dei, et genus hominum concilians amicitiam, et pacem inter utrumque, promulgans per angelum (Luc. 2) : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Quod autem ex hac pace lucrum reportavit, vulnus fuit, quod ab spinis in capite accepit, percutient illum Deo Patre, ut a nobis ictum averteret (Isai. 53) : *Propter scelus populi mei percussus est.* Ergo tamen animo laetum sumptum, et laborem fert divinus infans, ut mundo praebat pacem, et laetitiam exoptatam.

Quoniam vero hoc maxime tempore laetitiae praetextu solent multi, plusquam aequum est, gaudis, et ludis indulgere, monuit nos genium Apostolus, quomodo gaudere debeamus (ad Phil. 4) : *Gaudete, et iucundamini, Dominum dico gaudete, et statim subiungit: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Ecce quale tuum futurum sit gaudium, modestiae nempe coniectum, et pane nostro vescens, non solum legibus, non profanum, nec ad vana profusum. Quod idem Apostolus his verbis prescribit (ad Tim. 2) : *Abnegans impietatem, et saecularia desideria, sobrie, iuste, et pie vivamus.* Primum est Pauli praecipuum, omnem mortiferi peccati maculam ex animo delere; secundum, sobrietatem amplecti, et temperare, et pietatem colere, precibus, et bonis operibus vacantes; quae si observaverimus, fructum percipientis uberrimum ex sanctissimo Christi Natali; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.